

Dissertatio medico-chirurgica inauguralis quædam de prostata tumida complectens : quam annuente summo numine ... D. Georgii Baird ... pro Gradu Doctris summisque in medicina honoribus ac privilegiis rite et legitime consequendis / eruditorum examini subjicit Jacobus Bruce.

Contributors

Bruce, James.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Edinburgh : Alex Smellie, 1827.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mkm3h6bw>

Provider

University of Glasgow

License and attribution


This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





490-1887

Cc 4 - C . 22







Digitized by the Internet Archive
in 2014


<https://archive.org/details/b21452581>











DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA

ZAVADILIA

DE PROSTATE ATROPHY

DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA
INAUGURALIS
DE PROSTATA TUMIDA.

Dissertatio MEDICO-CHIRURGICA
INQUARIALIS

DE PROSTATE TUMIDA

COMPLECTENS

DR. G. R. R.

ACADEMIAE MEDICO-CHIRURGICAE
EX AUTORITATE READERNAE SANCTISSIMA ET UNIVERSITATIS

EX AUTORITATE READERNAE SANCTISSIMA ET UNIVERSITATIS

Dr. GEORGI RAILD, SS. T. P.

ACADEMIAE MEDICO-CHIRURGICAE
EX AUTORITATE READERNAE SANCTISSIMA ET UNIVERSITATIS

EX AUTORITATE READERNAE SANCTISSIMA ET UNIVERSITATIS

ACADEMIAE MEDICO-CHIRURGICAE
EX AUTORITATE READERNAE SANCTISSIMA ET UNIVERSITATIS

Dr. Georgii Raild, M.D.

ACADEMIAE MEDICO-CHIRURGICAE
EX AUTORITATE READERNAE SANCTISSIMA ET UNIVERSITATIS

ACADEMIAE MEDICO-CHIRURGICAE
EX AUTORITATE READERNAE SANCTISSIMA ET UNIVERSITATIS

Dr. John Thomson

ACADEMIAE MEDICO-CHIRURGICAE
EX AUTORITATE READERNAE SANCTISSIMA ET UNIVERSITATIS

To
With the respectful Compliments
of his obliged Pupil

ACADEMIAE MEDICO-CHIRURGICAE
EX AUTORITATE READERNAE SANCTISSIMA ET UNIVERSITATIS

1798

The Author

DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA
INAUGURALIS

QUÆDAM,

DE PROSTATA TUMIDA
COMPLECTENS ;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI ;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS BRUCE,

Scotus,

CHIRURGUS.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI :

EXCUDEBAT ALEX. SMELLIE,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS.

1827.

DIALECTIC OF THE ABSOLUTE
IN HEGEL'S SYSTEM

BY
JACOB FYN
LAWRENCE UNIVERSITY

JACOB FYN
LAWRENCE UNIVERSITY

DE PLATONISTISCHE VERSCHEENING
CORTÉGELLEERDE OCH TIRIS-SCHEENING

ANALOGIE OF PREDICATION
DIALECTIC OF THE ABSOLUTE

THE ABSOLUTE AS AN ABSOLUTE
IN THE ABSOLUTE AS A PREDICATE

THE ABSOLUTE AS A PREDICATE
IN THE ABSOLUTE AS AN ABSOLUTE

THE ABSOLUTE AS AN ABSOLUTE
IN THE ABSOLUTE AS A PREDICATE

THE ABSOLUTE AS A PREDICATE
IN THE ABSOLUTE AS AN ABSOLUTE

THE ABSOLUTE AS AN ABSOLUTE
IN THE ABSOLUTE AS A PREDICATE

THE ABSOLUTE AS A PREDICATE
IN THE ABSOLUTE AS AN ABSOLUTE

THE ABSOLUTE AS AN ABSOLUTE
IN THE ABSOLUTE AS A PREDICATE

THE ABSOLUTE AS A PREDICATE
IN THE ABSOLUTE AS AN ABSOLUTE

VIRO EXIMIO,
JACOBO LAW,
DE ELVINGSTONE, ARMIGERO,
COLLEGII REG. CHIR. EDIN. SOCIO ;
NON MINUS OB VIRTUTES PRIVATAS
DILECTO,
QUAM OB MERITA IN ARTE SUA
HONORATO,
HOC TENTAMEN,
STUDIORUM ILLO DUCE SUSCEPTORUM
PRIMITIAS,
OBSERVANTIÆ SUMMÆ, ANIMIQUE
GRATISSIMI, PIGNUS,
DEDICAT
AUCTOR.

DISSESSATIO MEDICO-CHIRURGICA

DE PROSTATA TUMIDA

CONCILII

CONFIRMATIONIS

CONFIRMATIONIS

Оправданій від звинувачення в тому, що він
зробив позиції, які викликають сильну
відчуття, але не зробив їх з цією метою, а
з метою здобути землю, якщо він зробив
їх з цією метою, то він заслуговує на
погану відповідальність.

Інформація про те, що він зробив це

Це мінімум доказів, що він зробив це, і вони
заслуговують мінімальної відповідальності.

DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA

INAUGURALIS

QUAEDAM

DE PROSTATA TUMIDA

COMPLECTENS.

PROCÆMIUM.

GLANDULA PROSTATA variis ex causis, variisque
aetatis temporibus, amplificari possit; sed eam tan-
tum speciem amplificationis, cui nomen “ Scirrus
“ Prostatae” (quamvis fortasse parum rite) vulgo
imponitur, agere in animo est.

HOC malum persaepe in senio incessit; notatu
tamen dignum est, id, a caeteris urinae organorum

vitiis discrete spectatum, cognitionem antiquiorum, ante tempora gnavi et perspicacis MORGAGNI, parum asseruisse videri. Hic vero aliquot hujus vitii exempla tradit;* historiamque symptomatum praegressorum, itemque eorum quae cada- vere inciso conspieiuntur, accuratam exponit.

PRIMA, autem, descriptio morbi perfecta profer-
tur a viro celeberrimo, JOANNE HUNTER†, qui
signa propria, partibus sive lobulis hujuscce glan-
dulae lateralibus, ob suam amplificationem, latera
urethrae comprimentibus, et ejusdem meatum a fis-
tulae quasi rotundae figura, ad fissuram arctam com-
planantibus, exitumque urinae ita impedientibus,
inducenda, depingit. Postea de hac re talia refert :—
 “ Besides this effect of the lateral parts swelling,
 “ a small portion of it, which lies behind the very
 “ beginning of the urethra, swells forwards like a
 “ point as it were, into the bladder, acting like a
 “ valve to the mouth of the urethra.”

* Morgagni de Causis et Sedibus Morborum, in sectione “ De Urinae Suppressione.”

† “ Hunter on the Venereal Disease.”

HAECCE projectura valvularis, tertio Prostatae lobulo amplificato, effici fertur a Domino EVER-ARDO HOME, Baronetto. Iste, enim, lobulus, a tergo finibus vasorum deferentium arete deli-gatus, nihil ejus incremento ex adverso obstante, in vesicam necessario imminet. Dum ita amplifica-tur, membranam vesicae internam distendi, atque inflammatione, quae glandulae amplificationem effecit, eâdem plecti, HOME nos certiores facit.

CAROLUS BELL,* hanc rem altius adhuc per-scrutatus, hoc malum, actione vehementi duarum habenularum ex fibris musculosis constantium, multum exacerbari censet—quae quidem habenulae ab ostiis ureterum ad os vesicae versus de-scendunt, et, coeuntes, parti Prostatae inferiori et mediae adhaerent.

TALES isti musculi usus praestant, contrac-tionem vesicae adjuvant, et simul ostia ureterum occludunt, eorumque aditus per tunicas vesicae,

* " Medic.-Chirurg. Transactions, vol. iii."

fines eorundem pro gradu contractionis vesicae generalis detrahendo, obliquitatem servant.

VESICÆ superficies, ubi istorum muscularorum conjunctionem interne obtagit, acerrima instruitur sentiendi facultate, quae propensionem solitam ad urinam reddendam ciet; et haec irritabilitas, morbo adacta, comitem habet muscularum actionem perpetuam, quae irritationem Glandulæ Prostatae insolitam non excitare nequit. Porro, quoniam haec irritabilitas proxime super lobulum tertium sedem habet, musculique jam memorati eidem particulae quam arcte annectuntur, non fieri potest quin ejus incrementum ad vesicae cavum versus augeant.

SHAW,* autem, opinatur Glandulae Prostatae vitium, quod tumorem intra vesicam efficit, non semper amplificatione lobuli tertii, sed aliquando projectura partis glandulae ante istum lobulum sitae, in quam porro musculi ureterum praecipue inseruntur, induci.

* *Vide* "C. Bell's Surgical Observations, vol. x."

HOC malum *viris* tantum contingere posse in aprico est, et profecto raro ante annum aetatis quinquagesimum conspiciendum accidit; quamquam, enim, in longe junioribus haec glandula nonnunquam amplificatur, tamen incrementa ejusmodi, alicujus mali aliis symptomatica, existunt, et brevi post morbum principem sublatum evanescunt. Post aetatem, vero, quinquagenariam, multo saepius sese prodit in conspectum, paucique octogenariam attingunt quin hujus partis vitio plus minus laboraverint.

NEMINI ullius ordinis, praे caeteris, aut pareit aut nocet; omnes, enim, cujusque generis ordinisque, pariter obnoxii sunt.

SI, tamen, viris illis HUNTER et DESAULT ulla fides est, crebrior est istis qui gonorrhœa saepius laborârunt.

HOME, eos qui vitam intemperatam degerunt, Veneremque nimis coluerunt, obnoxiores censet.

WILSON,* homines etiam qui organa genitalia, minus quam voluit natura, exercuere, huic vitio procliviores esse ait; adjicit, autem, multos, qui vitam probam temperatamque egerunt, neque utrumlibet extremum appropinquarent, multum molestiae a Prostata amplificata fuisse expertos.

DE FABRICA USUQUE PROSTATÆ.

GLANDULA conglobata Prostata est, nucemque castaneam, tum quod molem, tum quod attinet figuram, insigniter refert. Latitudinem pollice paulo ampliore, longitudinem parem, crassitudinem semipollis, pondusque quinque circiter drachmarum, habet.

PONE et infra Vesicam, et supra et ante Intestini Recti finem, angulum, ubi peritonaeum re-

* "Wilson on the male Urinary and Genital Organs."

flectitur, inter, et finem Intestini inferiorem, locum obtinet. Fundus ejus ad vesicam versus, et apex ad partem urethrae membranosam, spectat.

IN lobulos duos laterales dispescitur per quandam in centro fundi fossulam, proxime supra quam, partes imae vasorum deferentium vesicularumque seminalium locantur, quarum ductus glandulam in centro fossulae transigere incipiunt, et exinde, partem inferiorem urethrae, ubi substantia glandulae cingitur, ineunt. Superficies glandulae posterior gibba est, et ad Rectum per telam cellulosam interpositam adhaeret. Superficies anterior, quae per duos fere sui spatii trientes leviter cava est, per reliquam potius convexa, collo vesicæ initioque urethræ, huic autem maxime, arcte annexitur, eaque prope cingit. Per fasciam validam pubi etiam adhærescit.

INTER lobulos binos laterales, vesicam urinae, veruque montanum, pars ea glandulæ sita est, cui HOME nomen Lobuli Tertii imposuit; ita quidem ut in aspectu suo posteriori vesiculos seminales

vasaque deferentia habeat, membranaque collum vesicæ investiente obtegatur.

MULTUM abest ut haec pars glandulae, si modo sanae, longe emineat, et sæpe vix aut ne vix quidem conspici queat ; sed, amplificatione facta, sese sursum ad cavum versus vesicae, proxime pone urethrae initium, trudit.

HAEC projectura, vesica sese contrahente, simul cum urina depellitur, et valvulae vice, quod urethram attinet, functa, tam exitum urinae impedit, quam catheteri immittendo pertinaciter obstat.

GLANDULÆ ipsius substantia fabricae firmissimae et carneae, colorisque leucophaeo-rubri, est. Structura ex cellulis minimis constat ; unde oriuntur ductus quidam parvuli, qui inter se coëunt, adeo ut vasa aliquot, plerumque ab octo ad duodecim, in urethram per foraminula follicularia, circa veru montanum hiantia, constituant.

Usus Glandulae Prostatae verus parum adhuc pro comperto habetur. Humorem quendam co-

lore floris lactis praeditum, viscidumque, secer-
nere videtur; qui quidem copia haud parva,
dum partes impetu summo veneris excitantur, ef-
fusus, et pari tempore cum semine ejectus, alicui
in opere gignendi usui verisimiliter inservit.

COPIA hujus humoris, in amplificatione Prosta-
tae, solita multo major secernitur. Urinam equi-
dem aegrotantis, per dies aliquot deinceps, ex hoc
muco tenaci quasi solo fere constare vidi. Nec-
non viscidus admodum et tenax evadit; et quum
in matula mersus fuerit, inde ad altitudinem pe-
dis unius alteriusve, cohaesione tamen irrupta, in
formam quasi funiculi trahi potest.

HUJUSMODI sedimentum in urina, sive a glan-
dula sola, sive partim quoque a vesica ipsa prove-
niat, semper ubi illud viscus maxime irritabile
est, copiosissimum appetet; urinaque ipsa, talibus
in exemplis, graviter foetet, atque facile in putre-
dinem abit.

DE SIGNIS.*

HOC malum in duo stadia distribui licet, quanquam tempus accuratum, quo alterum desinit, alterumque incipit, saepe parum plane conspici queat.

IN stadio priori sive incipiente, aeger de sensu obtuso et ingrato per perineum ad finem Recti, collumque vesicæ, cum frequente calore et pruritu glandis penis, conqueritur; micturitione plectitur, sed parum uno quovis tempore excernit; urina saepe, post exercitationem insolitam præcipue, cruenta redditur. Quando lobulus tertius mole augescere incipit, ad cavum vesicæ versus eminet, membranamque hujus visceris internam imprimit, unde irritabilitas admodum intenditur, dolor sævus inter urinam reddendam sentitur, maxime dum guttulæ postremæ elabuntur, desideriumque amplius mingendi, postquam etiam vesica omnino vacua est, manet.

* Haud raro accidit ut in cadavere Prostatam maxime tumidam conspiciamus; quanquam aeger per vitam nullam affectionem hujusc generis questus fuerat.

DIUTURNITAS stadii prioris multum a gradu amplificationis hujusce lobuli pendebit. Si lobuli tantum laterales ampliantur, aut medius leviter solummodo afficitur, hoc stadium per annos aliquot perstare poterit, indiciis pedetentim ingravescentibus ; pars, autem, media haud multum augeri potest, quin exitui urinae pertinaciter obstat.

ID pro secundo duci queat stadio, ubi urina, omnibus simul stadii incipientis signis haud parum exacerbatis, prorsus supprimitur. Molestia, quam, in stadio priori, aeger quasi sensum ingratum obtusum depingebat, jam in dolorem vertitur obtusum et perpetuum, sensus acres jaculantes, subinde a glandula ad urethram, nonnunquam ad vesicam et ureteres tendentes, sibi comites adjunctos, habentem. Miser aegrotus ad urinam emittendam summo cum conamine, sed frustra, nititur ; membrana vesicae interna, lobulum eminentem obtegens, inflammatur, et, hac inflammatione cito per totam superficiem serpente, dolor multum intenditur, affectibusque spasmodicis colli vesicae trucissimis stipatur.

HOC stadium diu constare nequit, nisi ratio quaedam urinae educendae reperiatur. Hoc facto, sublevamine temporario aeger fruitur; at signa, saevitiâ nihil imminutâ, per intervalla recrudescent.

HAUD raro particulae lymphae coagulabilis e membrana mucosa eduntur, et interdum pus plene elaboratum in urina conspicitur. Inflammatio ad fibras musculosas vesicae serpens, quominus hae, uti in sanitate, sese relaxent, impedit; fasciculisque ipsis, ob motum crebrum et vehementem, in quem abripiuntur, amplioribus factis, amplitudo vesicae minuitur, dum crassitudo parietum augetur.

HAEC symptomata aliquando ingentem attingunt vehementiam, dein sese remittunt; neque raro accidit ut aliquis, postquam a morbo cruciatus trucissimos toleraverit, ac irritationi generali jamjam succubitus visus sit, quietem denuo paulatim, et haud parum otii, et, irritatione mitescente, facultatem urinae excernendae recipiat, et aliquamdiu ad solita et assueta negotia redire pos-

sit : At serius ocyus malum, cum omnibus suis angeribus, revertitur, miserque, tandem dolore perpetuo et irritatione irrupta penitus defatigatus, succumbit.

INTER morbi decursum, rigores saepe accedunt, qui indolem fere motuum convulsivorum interdum attinent, atque, uti par est, haud parva constitutionis universæ turbatio urget. Plerumque, irritatione augescente, copia urinæ parcior secernitur, et haec indicia cum statu alvi nexu arctissimo conjungi videntur ; hac, enim, astrictiore facta, symptomata maxima ex parte ingravescunt, et aliquando aspectum sibi magnopere formidolosum sumunt ; namque aeger in veternum somniculosum, delirio et nonnihil interdum fere comatis comitantibus, incidit.

EXEMPLUM quoddam ipse cognovi, ubi in talem soporem saepe incidebat aegrotus, et inibi per dies aliquot deinceps permanebat ; attamen, alvo plene soluta, et idonea urinae secretione restituta, omnes suas facultates recuperaverit.

ALIUD, adhuc, ab alvi conditione parum attente curata, malum proficisciens illud est, quod nempe stercus per remoram induratum, aeger non nisi cum magno dolore et difficultate eliminare queat; quae quidem difficultas, capacitati partis recti glandulae morbosae adjacentis, hujus amplificatione per digitum ano immissum facile percipienda, imminutae debetur. Haec, quoque, amplificatio causa est tenesmi frequentis, sensusque quem sentit aeger, postquam alvum dejicit, quasi frustum stercoris adhuc ejiciendum, relinqueretur.

DE IIS QUÆ, CADAVERE PATEFACTO, CONSPICIUNTUR.

QUUM in stadio incipiente morbi Prostata inquisitioni subjicitur, nil mutationis structurae, praeter amplificationem, oculis sese prodit. Sed postquam malum aliquantum fuerit provectum,

substantia glandulae incisae quasi firma sentitur, superficiesque secta albido-fuscum prae se fert colorem, septaque membranosa, per eam quoquovetsum tendentia, valde notabilia conspiciuntur.

GLANDULA, revera, omnem aspectum scirrhi ostendit ; ideoque morbus vernacule “ Scirrus of “ the Prostate” appellatus est. Haec, autem, amplificatio, quod duas res attinet, ab indole scirrhi communis insigniter discrepat ; 1^{mo}, Exempla sunt hujus morbi ad sanitatem producti. 2^{do}, Non in ulcerationem *sponete* abit. Exempla procul dubio acciderunt, ubi ulceratio incepit—imo haud parum provecta fuit ; haec autem perpaucia sunt, et, me saltem judice, usui violento et male instituto catheteris tribuenda.

GLANDULA plerumque latera versus maxime increvisse videtur ; aliquando incrementum aequaliter factum fuit, adeo ut corpori glandulae sua adhuc constet figura ; saepe, tamen, unum prae altero latere increvit, aut amplificatio hic quam illic major evasit, eo usque ut tractus urethrae obliquus reddatur.

VESICA patefacta, tunicae semper plus minus, pro gradu vehementiae et diuturnitate morbi, in crassitudine auctae reperiuntur.

MEMBRANA investiens saepe aspectum reticulatum sive saccatum, fibrarum tunicae musculosae amplificatione effectum, monstrat.

TRACTUS muscularum ureterum vulgo admodum notabiles sunt, et ad finem eorum inferiorem, projectura glandulae valvularis plus minus, plerumque pro gradu difficultatis urinae emittendae, atque vesicae ipsius ante mortem irritabilitatis, perspicua est.

DE CAUSIS.

PARUM de causis, quae hoc vitium inducunt, cognoscitur, nisi quod senium in viris, uti mamma scirrhosa senectutem vetularum, infestat.

LUXUS, ebrietas, et Venus nimium culta, actionem vasorum partis, quam voluit natura, validiorem, unde tonum in senio amittunt, ciendo, minus directe hoc malum arcessere valent.

CREBRAE affectiones inflammatoriae urethrae, partiumque vicinarum, usus frequens injectionum stimulantium, ictusque injuriaeve perineo illatae, actionem inflammatoriam glandulae directe impertiendo, possunt vitium, de quo sermo versatur, inducere.

FRIGUS corpori admotum, sanguinem a summa cute in organa interiora et penetralia corporis depellendo, eundem fere potest praestare effectum.

MORBUS aliquando quoque alvo astrictae rejiciatur, unde, praeterquam quod haec arcto cum vitio locali nexu jungitur, sanguinis venosi reditu libero impedito, congestio fortasse vasorum ipsius glandulae inducatur.

DE DIAGNOSI.

MORBI, quicunq; hujus signa facillime confundi queant, hi sunt: Ischuria Renalis, Strictura, et Calculus.

IN amplificationem Prostatae a caeteris urinae organorum vitiis dignoscendo, exploratione per digitum in rectum immissum, nisi quando malum tertium tantummodo plectit lobulum, multum confidere licet.

AB Ischuria Renali etiam dignosci potest, ab aegro ipso, dum adhuc urinam excernere, etiamsi per copiam uno quovis tempore parvam, valet, solita quantitate, intra horas viginti quatuor, emissam; itemque, postquam urinae fluxus omnino obstructus fuerit, tumore tenso, limitem definitum habente, per vesicam supra pubem formato; nec non urinae profluvio, immissa canula, facto.

HUNC inter morbum et Stricturam internos-

cere valemus, ex aetate provecta qua impedimentum primum accidit; et ex eo, quod cereolus chirurgicus, nihil obstante, per septem circiter pollices in urethram penetrare queat, quum repente impeditur; dum catheter rite curvatus, parum vel nihil obveniente, in vesicam transire potest.

INDICIA Prostata tumida exorta a symptomatis Calculi Urinarii discernere in promptu est, ab impedimento introitus specilli in vesicam, et absentia sonus istius qui aures adeo perstringit, quando specillum in calculum impingitur; denique ab eo, quod, quanquam sanguis haud raro in morbo Prostatae, post equitationem aut in curru gestationem, profunditur, attamen dolores motu ipso non augentur, dum in calculosis, a causa eadem, dolor in modum fere intolerandum intenditur.*

* Tumores item nonnunquam a superficie vesicae interna exrescunt, symptomata iis Prostatae amplificatae adeo similia edentes, ut non nisi ex sede diversa interstingui possint; neque multum, revera, ut discernantur, refert, quoniam quæ huic vitio inservit curatio, illi quoque vulgo haud male convenit.

DE PROGNOSI.

DUM stadium incipiens adhuc adest, cum aer-goti constitutio haud fracta fuit, si lobulus tertius non laboret, neque sit ulla in vesicam projec-tura valvularis eminens, morbum, cura summa et attentione, vel sanari vel saltem impediri posse in decursu, sperare licebit. Quando tamen morbus plene formatus est, quaecunque adfuerint indicia fausta, quomodo prognosin edamus felicem, magnopere cavere oportet.

QUUM vitium aliquamdiu perstiterit, lobulusque tertius amplificari inceperit, aegerque aetate provectus sit, et vesica facile irritanda, spes sana-tionis ad prostremum perfectae multo minor erit, et ad ea prae caeteris remedia confugiendum me-dicis, quae morbi incrementum aut impedire aut prohibere potuerint.

Si malum ad stadium secundum pervenerit, et

glandula, in media praesertim parte, adaucta sit, si vesica admodum excitabilis, et crebris actionibus spasmodicis opportuna, aegerque senior fuerit, habitusque fracti, nulla spes erit, nisi angores aegri mitigandi, signaque urgentia compescendi,

DE RATIONE MEDENDI.

IN morbo, de quo agitur, tractando, medentis consilia, stadio morbi a progressa exempli historia discendo, et indagatione signorum praesentium accurata, regenda erunt. Ex usu, igitur, curatio ad ea remedia quae ad morbum, in stadio priori sive incipiente, tollendum, sufficient, et ea quae in stadio secundo sive proiectiore adhibenda sunt, spectabit.

IN priori, igitur, stadiorum tantummodo, sationem appropinquare sperare fas est; et haec ta-

libus modis aggredienda est. Alvus aegri impri-
mis bene solvatur ; ad hoc, medicamenta mitissi-
ma et minime stimulantia sunt adhibenda, et ho-
rum omnium maxime eligenda sunt enemata
emollientia. Si tamen haec minus efficacia vide-
antur, oleum Ricini, parvas salium mediorum
portiones bene dilutas, aut pulverem Rhei, tuto
adhibere licet. Alvo ita bene depleta, sanguis
libere e lumbis aut perineo, per hirudines vel cu-
curbitulas cruentas, abstrahi debet. In aegro
pleniore, unam sanguinis detractionem copiosam
e brachio praemittere licet, antequam ad locales
depletiones confugiatur. Sanguinis missione sta-
tim succedere debent enemata opiata, ususque
pulveris Ipecacuanhae compositi, aliorumve mi-
tium narcoticorum internus. Diaeta tenuis anti-
phlogistica praecipi, aegerque ipse in lecto conti-
neri, debent ; omnesque rationes irritationis se-
dendae usitare decet ; balneumque tepidum quo-
tidie adhibendum est.

TALI curatione adhibita, ait HOME, se comp-
lures aegrotantes sanitatem recipere cognovisse,

postquam etiam lobulus tertius mole augescere incepert.

TALIA, tamen, exempla perpaucia sunt, et postquam morbus aliquatenus processit, ullis, qualibus hactenus pollet medicina, remediis insanabilis evadit; nisi a chirurgia spem salutis peti liceat.

LIZARS, anatomicus et chirurgus celeerrimus, excisionem Prostatae, quum tumefactione chonica afficitur, nuper proposuit; et operatio ab illo proposita facillime *in cadavere* perfici, et tota glandula sine laesione magna urethrae omnino extrahi, potest.

QUATENUS, vero, *in vivo* homine, cui Prostata multum fuit amplificata, bene cedat, nondum constat; tamen quondam horrendus rerum aspectus, quem aegro contemplandum est, ubi vitium suum remediis lenioribus cedere nescit, in quibusdam suaderet experimentum etiam periculosum, cui quidem multi se subjicere neutiquam recusarent, litem cito dijudicatam fore sperandum est. Si

revera habilis comperta fuerit operatio, non solum medici, sed omnes gratias summas illi, qui proposuit, habebunt. Satis, tamen, in aperto erit, operationem tum solummodo adhiberi posse, quando lobulus tertius nondum amplificatus est. Tamem operandi rationem LIZARS suadet.

AEGER in mensa, eodem positu ac in Lithotomia, ponendus est; et specillum in vesicam immittendum, et ita tenendum, ut antrorum Glan-
dulam Prostatam protrudat. Incisio in parte comprehensa semilunaris, qualis a CELSO in Li-
thotomia praescribitur, facienda est, a tubere ossis
ischii alterius ad tuber alterius pertinens, cuius
aspectus convexa ad symphisin pubis spectabit.
Fines sive cornua hujus incisionis paulo infra
tubera ossium ischiorum pervehenda sunt, inter
haec et anum, ut operatio reliqua liberius per-
ficiatur. Haec prima incisio, cutem telamque
cellulosam diducat, oportet. Operator, situm
bulbae urethrae animo respiciens, adhaesionem
fibrarum sphincteris ani ad acceleratores urinae
dividere debet, deinde fibras levatoris ani utrius-

que lateris, ab hoc loco deorsum ad fines primae incisionis semilunaris, adeo ut Glandula Prostata planè in conspectum detur, quae, tamen, diducendo Rectum per unam alteramve scalpri incisuram, multo magis patefit. Haec incisio musculos transversos perinei quoque dividit.

PROSTATA jam plene exposita, uncus inserendus est in unum lobulum latusve glandulae, quae cum cura a collo vesicae parteque prostatica urethrae dissecanda est; idemque ab altero latere, incisione superne deorsum pervecta, faciendum. Nulla per digitos laceratio aut avulsio, sed incisurae rectae scalpello, in hac operatione, adhibendae erunt.

GLANDULA morbosa sublata, specillum extrahi, catheterque ex gummi flexibili immitti, debent. Vulnus per tres suturas, unam in centro, unam utroque latere, committendum est. Ægrotus dein in lectum imponatur, et opiatum sumat. Catheterem ex gummi elastico in vesica relinqu, donec urethra sanata fuerit, neque educi oportet, nisi ut purgetur, si quando obstructus sit.

Si, tamen, operatio respuatur, morbusque ad stadium secundum pervenerit, ad symptomata urgentia mitiganda, cruciatusque aegrotantis sublevandos, praecipue respiciendum erit.

AD hoc, igitur, urina saepe educi debet, quoniam pressura, quam parti morbosae infert, conatusque vehementes vesicae muscularumque abdominalium ideo facti, ad morbum exacerbandum, doloresque aegrotantis augendos, plurimum conferent.

De usu Catheteris.—Quaedam haud parvi momenti impedimenta aliquando catheterem immitti prohibitura videantur. Ex his primum obtinet locum Spasmus Urethrae, conditione partium praeter naturam mobili exortus. Alterum impedimentum est Tractus Urethrae Obliquitas, amplificatione lobulorum Prostatae lateralium abnormi effecta; ob hoc, enim, incrementum parum aequale canalis utroque deinceps flecti visus est. Lobuli tertii ad collum vesicae projectura impedimenti causa tertia existit.

IMPEDIMENTUM, a spasmo urethrae exortum, superari potest, instrumento ex gummi elastico utendo, quod molle et laeve esse debet, itemque ad apicem rotundum et quam crassissimum meatus facile acceperit, ne in lacunis urethrae impliceatur. Hoc bene oleo illitum per urethram, sine stileto, mitti debet; si, tamen, ita ad vesicam usque penetrare nolit, stiletum rite curvatum per id intrudatur; sic, enim, minus inducetur irritationis et spasmi, quam si catheter educeretur, atque rursus stileto instructum immitteretur.

SI aeger huic urethrae vitio spasmodico opportunus esse solet, haud alienum erit suppositarium ex tribus aut quatuor opii granis Recto imponere, hora una vel altera antequam catheterem immittere conemur.

HAC difficultate superata, quae proxime sese verisimiliter sit objectura, meatus inter lobulos laterales obliquitas erit. Quum, igitur, Chirurgus hanc partem minus instrumento pervium sentit, apicem ejus ad unum latus deflectere debet, et si leni experimento facto, parum adhuc pro-

fecerit, ad alterum latus deflectat; et sic saepe voto potietur, ubi si instrumentum trusisset antrorum, non modo molimen frustra factum fuisset, sed etiam verisimillime damnum irreparabile partibus ipsis intulisset.

FREQUENTISSIMUM, vero, neque fortasse minime formidolosum, in cathetere immittendo, impedimentum est projectura lobuli tertii super vesicae collum, quae, praeterquam quod directe ingressui instrumenti obstat, interdum laxam urethrae membranam elevat usque ad veru montanum, adeo, quidem, ut lobulum amplificatum et veru montanum fere in contactum perducat, cavumque inter ea praeter naturam multo profundius reddat; pars meatus prostatica, quoque, ideo longior fit, et levis hujus partis curvatura naturalis, vesica quasi in tumorem elevata, multum augetur,

AD haec impedimenta superanda, catheter adhibendus, plurimum versus apicem praecipue, curvari, et pollicibus tribus quatuorve longitudine solita longior esse debet. Hic immitten-

dus est, apice semper secus urethrae superficiem superiorem truso, et circa pubem circuitu subito pervehendus. Si apex, nihilominus, cavo, inter partem eminentem et veru montanum, impliceatur, curvatura, uti primum a HEY Leedensi suasum est, stiletum ex parte educendo, augeri queat; vel si hoc etiam non sufficiat, catheter, uti HOME jubet, linea horizontali vel dextrorum vel sinistrorum immittendus est; et quum apex ad veru montanum pervenerit, manubrium, circuitu gradatim facto, dum adhuc movetur apex, sursum verti debet, et ita instrumentum in spatium lobulos laterales inter et medium dirigatur, ubi nil ingressui obstat, et nil opus est quo in vesicam perveniat, nisi ut manubrium deprimatur.

Si haud parum difficile fuerit instrumentum immittere, in vesica relinqui debet, ostio per corticem aut ligneolum obturato, itemque affigi decet, vel per taeniae habenulas, femoribus aegri ligatis, vel, quod melius convenit, fascia ad formam literae T more solito admoveri potest, fissura relicta, unde penis exeat, et laqueo supra et infra

hanc fissuram taeniae habenae adligari possunt. Catheteris in vesicam plene missi, quod exstat, omne abscindi debet; quum, enim, ultra os urethrae eminet, facile flectitur, frangitur, aut e vesica eliminatur, inter spasmos vehementes quibus saepe viscus illud plectitur.

FORAMINA in lateribus instrumenti patula esse debent, quo minus muco aut sanguine obstruantur. Ad hoc, omnibus in exemplis, respicere oportet; nonnunquam enim adeo viscida urina est, ob copiam humoris tenacis secreti supra memorati, ut si foramina minora sint, ne guttula quidem una elabatur.*

SED quanquam haec omnia ita praecaveantur, catheter saepe oppilatur, et opus est extrahere, ut purgetur. Frequentiam extrahendi a rebus fortuitis pendere oportet; nunc semel in hebdo-

* Foramina quoque ampla alteri praeterea proposito inserviunt; nam interdum parvuli calculi in ea accipiuntur, et e vesica extrahuntur, instrumentum solummodo educendo unde causa alia irritationis auctae saepe evitatur.

mada sufficit, nunc quotidie instrumentum mutare
necessse est.

QUUM catheter sine magno dolore aut opere
intromitti potest, subinde tantum, pro copia
urinae secretae, et copia quae simul sine irrita-
tione contineri queat, immittere opus erit.

SI, vero, immissio instrumenti, ejusve in vesica
remora, ingentem efficiat irritationem, quoniam ita
morbus multum intenditur, cogitandum erit an-
non melius expediat vesicam a Recto perforare,
et canulam ex gummi elastico, donec proclivitas
ad irritationem se remiserit, in apertura relin-
quere.

INFLAMMATIO, quae per morbi decursum ac-
cedit, topica sanguinis e lumbis, perineo aut mar-
gine ani detractione, semicuppii usu, enematibus
emollientibus, aliisque remediis, quae laudantur in
stadio priori, superanda est.

AD irritationem sedandam multa proposita sunt
remedia, quae deinceps recensebo.

De Narcoticis.—Hujus generis remedia omnium efficacissime sublevamen aegro afferunt. Praeparata ex Opio, Hyosciamo Nigro, Humulo Lupulo, Papavere Albo, vel Conio Maculato, aut Lactucarium, prout aegroto convenient, adhiberi possunt. Ex his unum nocte quaque secunda, vel fortasse noctibus singulis, praecipi debet. Ratio efficacissima ea exhibendi, per enemata, vel unum plurave pro suppositorio in Recto relictam, absolvitur. Lotio solutionis opii aquosae, ad proportionem opii semidrachmae, cum aquæ unciis duabus, in vesicam injecta, aliquando statim, cum ingens fuit irritabilitas, allevamen attulit; hoc, autem, praescriptum saepe potius uti corpus alienum agere, et irritationem intendere, videtur.

De Catharticis.—Ex his, uti jam dictum est, nulla nisi mitissima ingerenda sunt. Ad alvi tamen conditionem cura summa respicere oportet, quippe quae nunquam astringi permitti, sed potius laxa et facilis servari, debeat. Cum ad constipationem proclivis est aeger, Oleum Ricini, Pulvis Rhei, aut solutio diluta alicujus salium medium, usitari possunt. Sed in exemplis solitis, ex-

hibitio enematis ex aqua mera calida, aut decocto
avenaceo, sufficere invenietur.

QUANDO opiatum aliquod ingeritur, inertiam
alvi inde orituram, aperiens medicamentum simul
dando, optimo arceri reperimus. Ideo una duaeve
pilarum Rhei compositarum Pharmacopaeiae
nostrae, cum anodynō sumptae, facilem alvi de-
jectionem aegro die postero praestabunt, ubi aliter
alvus non nisi cathartico valido solvi potuisset.

De Tonicis et Astringentibus.—Haec in vitiis
organorum urinariorum vetustis multum usitata
sunt, et, revera, cum beneficio quodam uti pro
tempore videretur, in exemplis Prostatae incre-
menti, ubi secretio muci morbosi magnopere sca-
tet. Arbutus Uvae Ursi, sub forma foliorum pul-
veris, per portiones a granis viginti ad sexaginta,
ter quaterve in die data, laudibus haud parvis ela-
ta est. Tinctura muriatis ferri a guttis decem ad
viginti bis in die data, ususque lavationis mariti-
mae, morbum aliquando morari videntur; hoc,
autem, plerumque ita fit, cum morbus indole stru-
mosa instruitur.

De Stimulantibus et Contra-irritantibus.—Vesicatoria, in hoc morbo adhibenda, effectu cantharidum proprio in collum vesicae prohiberi videntur. Sed WILSON ait, ea perineo apposita, et, antequam cantharides absorbeantur, sublata, in irritatione interna sedanda profuisse. HUNTER exemplum tradit, ubi setaceum in perineo tumorem imminuit, et irritabilitatem vesicae temperavit; sed, parte sanata, symptomata redierunt, et quanquam iterum impositum fuit setaceum, beneficia pristina haud percepta sunt. Ex effectu mirabili Iodinae, in Bronchocele aliisque glandularum tumoribus quibusdam curandis, spes fuit nonnullis eam Prostatam amplificatam quoque sanaturam esse. In quibusdam, igitur, exemplis, ejus periculum factum est; sed, quatenus ipse novi, sine ullo beneficio diurno. Sub forma tincturae, per portiones guttarum decem aut quindecim bis terve in die dari, vel unguenti semidrachma in perineum mane et vespere infricari, potest.

De Diureticis.—Hoc remediorum genus, si

modo perite adhibitum, in signis gravioribus sublevandis multum prosunt.

JAM supra adnotatum est, ubi irritatio summa adest, accumulationem muci tenacis item multum augeri, et urinam parcissime secerni : quanquam, porro, utra harum conditioni alteri causa sit, dictu difficile est, tamen saepe reperimus, una sublata, alteram quoque tolli, vel saltem magnopere allevari. Quum, igitur, Arbutus Uvae Ursi spem medentium fefellit, cum opium et caetera sedantia irritationem compescere desierunt, aut aegro parum convenient, diuretica multum proficere inventientur ; secretio enim urinae aucta, materiam tenacem et acrem in vesica haerentem diluendo, et ejus excretioni favebit, et, dum in vesica moratur, minus irritantem reddet. Praeterea, haud alienum fortasse erit adnotare, fluxum urinae auctum aegro ipsi valde placere, cuius quidem attentione fere omnis plerumque in copiam quam excernit intenditur.

HUJUS generis medicamenta maxime eligenda sunt, Spiritus Etheris Nitrosi, Radix Scillae Ma-

ritimae, et Folii Digitalis Purpureae. Horum duorum actio, compositione cum Hydrargyro, praecipue ejus submuriate, admodum augetur.

UBI digitalis nil mali secum affert, caeteris eo fortasse anteponenda est, quod nempe, praeter effectum suum valde diureticum, ob vim sedantem bene notam, in irritatione temperanda, et febris symptomaticae incitatione devincenda, plurimum valeat.

De Diluentibus et Demulcentibus.—Ista liberlime in stadio proiectiore, saltem ubi catheter adhibetur, praecipi queant, et rebus se ita habentibus, magna irritatione urgente in actione diureticorum promovenda, plurimum prosunt. Sed in stadio incipiente, ubi urina difficulter excernitur, etiamsi nondum catheter postuletur, usus multi humoris, cujuscunque generis, fortasse alienus erit, quia, vesicam ad functionem suam saepius ciendo, ad morbum exacerbandum conduceat.

De Diaeta et Regimine.—Diaeta nutriendi esse debet, sed omni re califaciente aut acri vacua.

Jusculum gelatum ex pedibus vitulinis, Maranta Arundinacea, Sago, Panado, et similia, cibus optimus atque tutissimus erunt. Decoctum hordeaceum, aquam in panem tostum infusam, lac lacticus serum, pro potu adhibere licet; sed vina, cerevisiae, spiritusque distillati, omnino prohibenda sunt, vel, si unquam opus fuerit, quam parcissime concedenda.

ÆGER quam tranquillissimus teneri, et quam maxime potest in lecto decumbere, debet; pro exercitatione, ambulatio aut in curru gestatio, sed neutiquam equitatio, praecipi queat.

DENIQUE, cura summa ab aegro ipso, et attentione sedula a medente, in remediis supra traditis perite administrandis, adhibitis, vita, quae aliter inter miserias et cruciatus traheretur, nonnihil magis toleranda, neque fortasse omni solatio vacua, reddi possit.

FINIS.

smaller diabatic cooling or warming, which is often due to adiabatic compression or expansion of air masses. Other diabatic cooling and warming are due to latent heat release or uptake in groups such as cumulus clouds, the ocean, and the land surface. The remaining fluxes are the net longwave radiation, the net shortwave radiation, and the net latent heat flux. The net longwave radiation is the difference between the atmospheric emission and the atmospheric absorption of longwave radiation. The net shortwave radiation is the difference between the atmospheric absorption and the atmospheric emission of shortwave radiation. The net latent heat flux is the difference between the atmospheric emission and the atmospheric absorption of latent heat flux.

